



EUROPAEA FOLIA SEXIES IN ANNO LATINE EDITA

Editrix responsalis: Diana LICOPPE -avenue de Tervueren, 76, Tervurenlaan -1040 BRUXELLIS

TEL:02/734 55

## DE COLLOQUIO WEGIMONTANO II . QUOT CAPITA, TOT SENSUS ...

Ineunte mense Maio, colloquium didacticum habitum est per triduum in amoenissimo praedio Wegimontano, non longe a Leodio sito, invitantibus Professore Michaele DUBUISSON Leodiensi et Professore Claudio AZIZA Novo Sorbonico.

Qui viri primum eiusdem generis colloquium iam anno 1984° instituerant, cuius acta nunc edita sunt.

Ad colloquium II<sup>um</sup> participandum Professor Dubuisson invitavit Dianam Licoppe ; sciebat enim eam Latinitatem Vivam colere et - res mira! - circum tertiam colloquii mensam rotundam considerandum erat an methodi activae, necnon Viva Latinitas, tironibus, qui in schola linguam Latinam numquam didicerunt, emolumento esse possent.

Colloquio quoque interfuerunt duae Foundationis Melissae sodales, Francisca Deraedt et Iacina Verreet; in phonocasetam omnia verba receperunt, quae ad tertiam mensam rotundam prolata sunt. Nobis ergo postea licuit omnia attentissime auscultare quae dixerunt singuli participes.

Franciscus HOFF, ex studiorum universitate Argentoratensi, tertiae mensae rotundae moderator, disceptationem iniiit dicendo Latinitatem Vivam distinguendam esse a methodis,

quibus lingua Latina voce docetur.

Primus ex sex hominibus ad mensam rotundam invitatis, locutus est Mauricius SACHOT, acroasis magister in Scientiarum Humanarum Universitate II Argentoratensi, ubi in Facultate Theologiae Catholicae linguam Latinam alumnos docet, qui Historiae vel Litteris Modernis student. Qui vir dixit se methodo "audio-oralis" uti et alumnos in docendo tantum Latine alloqui; ad quam institutionem faciendam se textus composuisse, quibus alumni statim in Romanorum aevum transferuntur immergunturque. Alumni **auscultant linguam** atque ex auditu non tantum vocabula sed etiam vocabulorum syntaxim memoria multo facilius retinent. Alumni celerrime multa vocabula addiscunt atque vocabula eis semper occurrunt in contextu significanti. Alumni sententias Latinas **statim intellegere debent** ex auditu et sine transitione per translationem Francogallicam. Nulla lingua, dixit auctor, aestimari potest, si deest vox. Hoc modo docendi alumni celerrimos progressus faciunt, id quod maximum huius methodi emolumentum auctori videtur esse. Oportet sciamus auctoris propositum esse efficere ut alumni textus litterarios legere et intellegere valeant.

Secunda locuta est Diana LICOPPE, quae dixit se

10  
12



Ad Mensam rotundam III<sup>am</sup> sedent :

M. Sachot    D. Licoppe    Cl. Fievez    Fr. Hoff    P. Wuelfing    M. Dubrocard    Cl. Aziza

Latinatatem Vivam iam diu ante coluisse quam Latine in schola docebat. In schola tamen fieri non potest ut primae classis discipulos tantum verbis Latinis utendo doceat. Saepius tamen discipulos Latine alloquitur vel interrogat, id quod eis placet.

Tertius locutus est Claudius FIEVEZ, qui in studiorum universitate Palensi docet. Ei efficiendum est ut alumni, qui in schola linguam Latinam non didicerunt, quam citissime doceantur ut "Litterarum aggregationis certamen" superare valeant. Quare elegit methodum "audio-oralem", quae est omnium celerrima. Alumni sententias ex auditu sine transitionem per translationem Francogallicam intellegere debent. Gradatim sententias difficiliore auscultant. Nisi attentissimi sunt alumni, cursum sequi non possunt. Hac de causa haec methodus et discipulos et magistrum citius defatigat quam ceterae, sed maiorem habet efficacitatem. Eadem methodo alumni Latine loqui facile addiscere possint; confitetur tamen orator hunc non esse scopum impositum.

Quartus locutus est Petrus WUELFING, Germanus, qui in studiorum universitate Coloniensi docet. Optime Francogallice loquitur. Vix quicquam antea audiverat de Latinitate Viva. Contra dixit se methodis activis favere, quamquam ipse eis ad linguam Latinam docendam non utitur.

Ei non placet linguam Latinam redivivam fieri; plus prodest linguis hodiernis studere. Linguae Latinae cultus gignit "elitismum". Latinitas Viva est ludus, quo res inanes apparatusis verbis antiquae rethoricae exprimuntur. elocutionem

Ei plus placet lingua Graeca, cuius admiratur eximiam perennitatem; proponit ut una doceantur antiqua et moderna lingua Graeca; suadet etiam ut pronuntiatu Graecus hodiernus adhibeatur in textibus antiquis legendis.

Quintus locutus est Michael DUBROCARD, qui in studiorum universitate Nicensi docet. Methodorum activarum fere nullam habet experientiam. Diffidit tamen Latinitati Vivae.

Sextus ultimusque locutus est Claudius AZIZA Novosorbonensis. Qui vir videbatur pronior ad Latinitatem vivam, quippe qui una cum Michaele Dubrocard in Latinum vertisset historiam depictam apud Casterman editam, cui titulus "Spartaci filius". Sed statim respiscendum erat. Claudius Aziza tantum tolerat methodos activas quantum discipulorum animos ad linguam Latinam discendam exsuscitat, non ultra.

De Latinitate Viva dixit fautorum consilium imprimis definiendum esse. Ipse distinguit: si solum agitur de oblectamento nonnullorum aestheticae fanaticorum, nihil obstat. Si Latinitati Vivae subiacet quoddam fundamentum historicum vel religiosum, ei cunctis viribus vehementer repugnat.

Cui impugnationi Diana Licoppe respondit nihil enim prodesse de ratione Latine docendi disputare, si imprimis nescimus vel non profitemur quo tendat institutio Latina. In Latine docendo sunt consilia iam vetera sed semper valida, praecipue liberos ad animi culturam Europaeam erudire et discipulorum mentem formare. Sunt etiam consilia nova, quae ex novo Europae statu eveniunt. Hodiernus consessus noster Latine haberi possit, id quod non mirum sit, cum omnes participes linguam Latinam doceant. Quod evidens videretur, si de quadam lingua vernacula ageretur.

Respondit Claudius Aziza ex Latine loquendo gigni "Fratinum" (Francogallico - Latinum)! De vetustioribus argumentis pro institutione Latina in scholis dixit ea obsoleta esse; ad extremum non

stomachetur, si lingua Latina tantum in studiorum universitate, sed iam non in scholis, doceatur.

Concedit linguam mortuam fieri posse redivivam, ut patet ex lingua Hebraica. Sed ut res prospere procedat, consilium firmissimum ineundum est. De tali consilio linguae Latinae aptato ipse recusat.

Cum omnes, qui ad mensam rotundam sedebant, verba sua perfecissent, ceteris, qui aderant, licuit vel interrogare vel sententiam suam proferre. Longum est omnia narrare. Unum tamen omittere non possumus.

Iacobus MICHEL, in studiorum universitate libera Bruxellensi professor, dixit sibi ante paucas septimanas contigisse Latinitatem Vivam experiri, cum Professor Thomas Pekkanen, Finnis collega, Bruxellis acroasin publicam Latine fecisset de opere suo "Kalevala Latina". Quam acroasin ipse iucundam atque perfacile intellegibilem invenerat; redivivum autem sermonem Latinum nonnullorum hominum, qui ante et post acroasin verba fecerunt quamquam ~~nunc~~ docendi non funguntur, sibi ad probandum adhuc firmiorem visum esse; quem sermonem certe non esse Ciceronianum atque egere nonnullis dicendi modis apud antiquos frequentissimis; sed homines diversos talem sermonem facile intellegere posse propterea quod inest quaedam stirps culturalis communis. Ad summam dixit sermonem Latinum vivum non tantum esse verum instrumentum communicationis, sed etiam discipulis in scholis prodesse posse ad linguae Latinae automatismos exercendos.

Denique Iacobus Michel Claudium Aziza interrogavit quo animo ipse linguae Latinae studeret, cum Latinitatem Vivam, cuiusdam subiacentis propositi causa, impugnavisset.

Hanc quaestionem Claudius Aziza eludere conatus est, verbose disserendo de condicionibus historicis paedagogiae Latinae in Francogillia.

Iacobus Michel, qui frustra eum compluries interpellaverat, ut recta via quaestioni respondere vellet, gradatim vocem vehementer attollebat.

In fine Claudius Aziza agnovit sibi in animo esse praecipue antiquitatem docere atque in hoc proposito linguam Latinam minorem accipere partem.....

Gaius LICOPPE - Bruxellensis



Cl. Aziza et M. Dubrocard qui una "Spartaci filium" in Latinum verterunt

# CORAM...

## DE HORNOTINO CONSESSU ACADEMIAE LINGVAE LITTERISQUE LATINIS FOVENDIS

In Melissa numero 11 rettulimus de huius Academiae consessu, die Martis 22° m. Aprilis a°1986° habito. Academiae sedes est Romae, in aedibus cui nomen "Istituto di Studi Romani". Academiae consessus annuus haberi solet quam proxime diem anniversarium urbis Romae conditae, qui celebratur die 21° m. Aprilis. Quare Academiae Romanae consessus anno 1987° habitus est Iovis die 23° m. Aprilis. Huic consessui interfuit **P.C.Eichenseer**, quem pro lectoribus nostris statim post coram interrogavimus:

*Gaius Licoppe* : Salve, Pater Caelestis! Interfuisti ante duos dies hornotino consessui Academiae Romanae. Licetne te interrogare quid huic sessioni actum sit?

*P. Caelestis Eichenseer* : Gratias plurimas pro salutatione tua eximia et perhumana, qua me modo salutavisti cum essemus Mediolani et vos duo, tu et uxor tua, benignissime me perduxistis per totam Italiam ut veniremus Recinetum ad Dominum Lambertum, deinde per Apuliam et, deinde, Paesti pulcherrimas res vidimus et, ut dixisti, die Mercurii vespertino tempore pervenimus Romam et, die Iovis, ibi erat consessus annuus Academiae Romanae Latinae internationalis. Et libenter tibi respondebo ad quaestiones quas mihi posueris de illo consessu.

*Gaius Licoppe* : Ergo, in primis te rogabo qui adfuerint huic sessioni.

*P. Caelestis Eichenseer* : Memoriter non de singulis satis bene recorder, sed adfuerunt, ut anno praeterito vidisti, adfuerunt Professor Schilling Argentoratensis, Professor Grimal Parisiensis et adfuit Iuliana Farenga-Ussani, secretaria Academiae eiusque frater qui est Vincentius Ussani, est professor Latinitatis qui heri, in hac sessione Academiae per totum diem adfuit, mirabiliter; anno praeterito tantum per paucas minutas vel per nonnullas horas adfuerat. Et adfuerunt etiam duo Hungari, Professor Borzsak et alius Hungarus, est Professor Sigismundus Ritook. Poloni non adfuerunt heri, et complures alii adfuerunt; adfuit etiam Iohannes Irmscher et adfuit Pater Iosephus Mir et Professor IJsewijn postea advenit, fortasse semihora post initium; etiam advenerat Pater Egger, Pater abbas Egger fere dodrante postea advenit et adfuit heri etiam, per exceptionem, Professor Constantinus Grollios Thessalonicensis qui multo tempore non iam adfuerat; et adfuit etiam Professor Waszink, est Batavus, est Hollandus, qui iam circiter octoginta annos habet et nunc melius se habet, ob eam causam post longum intervallum iterum adfuit. Et Professor Pater Suitbertus Siedl, id quod valde doluimus, non adfuerat. Et duo alii adfuerunt Itali quorum nomina in praesenti non satis bene recorder: unus erat, nisi fallor, Parroni et alius Gamberale; est in indice quem tibi fortasse monstrare poterō.

*Gaius Licoppe* : Gratias. Quis fuit praeses huius sessionis?

*P. Caelestis Eichenseer* : Praeses huius sessionis fuit, post quandam brevem deliberationem, electus est manibus sursum sublati, Professor Robertus Schilling Argentoratensis. Sed mihi postea videbatur ille iam antea scivisse se praesidem electum iri, quia nonnulla verba Latina praeparaverat. Cetera tunc Italice produxit quia dixit non solum matre Latina utendum esse, sed etiam filia pulcherrima Latina. Hunc in modum excusationem suam protulit qua putabat sibi nunc licere Italico sermone uti.

*Gaius Licoppe* : Nil aliud scitu dignum dixit in suo prooemio?

*P. Caelestis Eichenseer* : In suo prooemio dixit, paucis verbis Latinis, anno praeterito sibi fasciculum vel commentarios oblatos esse ubi reprehensus esset mos Academiae Latinitatem non adhibendi, sed videbatur non iam scivisse ubi haec res scripta esset et quis scripsisset; interrogaverat id me ante ipsam sessionem; interrogaverat qualis vel quae mulier fuisset quae scripsisset tam inhumaniter vel parum benigne de sessione anni praeteriti.

*Gaius Licoppe* : Gratias. In indice rerum agenda, quid erat maioris momenti?

*P. Caelestis Eichenseer* : Maioris momenti erat electio futuri loci novi conventus Latinitatis. Et, deinde, agebatur, id quod etiam maioris momenti fuit, agebatur de interpunctione Latina uniformiter adhibenda.

*Gaius Licoppe* : Optime. Et, de prima quaestione, quid statutum est de futuro situ conventus universalis?

*P. Caelestis Eichenseer* : De futuro conventu convenit inter praesentes, post aliquam disputationem et disceptationem et consultationem, ut fieret anno 89 huius saeculi in regione orientali Germaniae, id est in urbe Erfordia Thuringiae. Et ultimo die transvectatio futura erit ad urbem Berolinum orientale.

*Gaius Licoppe* : Bene. Et nunc de altera maioris momenti quaestione, id est de interpunctione, quis aliquid proposuit et quid in fine statutum est?

*P. Caelestis Eichenseer* : Fortasse unum mihi liceat supplere quoad conventum futurum: erit ab Calendis Augustiis anni 1989 per quadriduum. Et de interpunctione, optime rem Professor Nicolaus Sallmann praeparaverat, sed fuerunt complura puncta de i et u, de u consonanti et u vocali, de scriptura uniformi et multa etiam de maiusculis et minusculis, de virgulis ponendis in sententiis subiunctis et talibus rebus, et plerique hanc rem

*Verba  
excellentissima!*

## BASILIVS HYPEAU

Pater Basilius Hypeau Ferias Latinas in Provincia institutas participare solet. Cum eum ibi compluries iam convenerimus, eius facilitatem in Latine loquendo admirati sumus.

Quare Diana, editrix nostra, novissimis Feriis Latinis Olbiensibus ei nonnullas quaestiones posuit, quibus sua solita humanitate eleganter respondere dignatus est.

### 1. Ubi et quando natus es?

Natus sum anno 1920 in urbe Pictavis (cui Gallicum nomen est Poitiers). Parentes enim mei in ea urbe tunc habitabant, qui postea alias in regiones pluries migraverunt. Nam per duos annos in Gallia septentrionali habitavimus, non longe ab Insulis (Gall. Lille), dein tres per annos Massiliae, atque ita porro. Urbem Pictavos quadrimus reliqui.

*melius: coepisti*

### 2. A quo tempore incepisti linguam Latinam amare?

Non memini me unquam sine lingua Latina vixisse. Illo enim tempore, omnes Ecclesiae Catholicae ritus Latine agebantur. Unius diei infantulus cum essem, Latine baptizatus sum. Quotiescumque me parentes ad ecclesiam ferebant vel ducebant, Latinae voces aures meas pulsabant. Quidni linguam Latinam amarem? Puerulus novem annorum cantum gregorianum discere incepti, qui mihi suavissimus erat.

### 3. Ubi studia secundaria fecisti?

Quo tempore mihi studia secundaria incipienda erant, parentes mei ex urbe Massilia in aliam urbem migraverunt, cui vulgatum nomen est "La Roche-sur-Yon". Florebat ibi, sub nomine illustrissimi cardinalis "Richelieu", schola secundaria quaedam, quae a sacerdotibus diocesanis regebatur. Octo per annos huius scholae discipulus fui, atque in ea totum studiorum secundariorum ordinem confeci. Magistri fere omnes sacerdotes erant, qui nobis strenuissimam laboris assiduum dabant exemplum. Omnibus modis curabant ut ea omnia quae a magistris docebantur, a discipulis revera et efficaciter discerentur. Ita factum est ut lingua latina, -inter alia multa,- paulatim in nobis penitus inhaeresceret et quasi in sucum converteretur. Illis magistris multam me sentio et debere et habere gratiam.

### 4. Quando et in quem ordinem religiosum intrasti?

Perfectis studiis secundariis, statim in vitam monasticam benedictinam ingressus sum. Latine tunc incepti Verbum Dei cottidie legere, Latine assuevi divinum officium et Missae cantus gregorianos cottidie cantare. Haec est lingua Latina viva! Ex imo enim pectore verba sacri amoris in os ascendunt, et dum cantus ore profertur, aures simul et sacris cantilenis et verbis Latinis penitus imbuuntur. Usus linguae Latinae etiam in studiis philosophicis et theologicis vigeat. Pensa alternatim aut Latine aut Gallice scribenda erant. Interrogationibus Latinis vivo ore prolatis, Latine ex tempore respondendum erat. Et si quando ad linguam Gallicam devertebamur, magister nos subridens cohortabatur: "Dic Latine!".

### 5. Quae studia universitaria fecisti?

Studia universitaria nulla alia feci nisi theologica. Superiores enim mei me ad theologiam docendam destinabant. Sed res aliter evenit quam putabatur.

### 6. Quibus muneribus functus es? Docuistine linguam Latinam?

Habebamus illo tempore in monasterio nostro scholam non ita magnam, scholam monasticam non multorum discipulorum. Accidit autem ut unus e confratribus meis, qui haec in schola linguae Latinae magister erat, in morbum inopinatum cum incidisset, a magistri munere recedere cogeretur. In eius locum suffectus sum, atque ita mihi linguae Latinae docendae munus ex improviseo demandatum est. Quo in munere plus quam quindecim annos laboravi.

### 7. Eratne tibi methodus docendi singularis?

Cum ad hoc munus imparatus accederem, non mirum est me primo nihil in docendi ratione mutavisse. Sed paulatim, experientia doctus, animadverti modos quosdam agendi discipulis multum nocere, atque ideo nova quaedam tentamina experienda esse.

Nequaquam tamen mihi visum est omnia mutari oportere. Neque unquam putavi esse "methodum unam" omnino per se efficacem, sed potius synergiam quamdam methodorum quaerendam esse: plures enim esse modos docendi et discendi, quorum unusquisque proprias virtutes haberet, atque ideo nullam methodum omnino neglegendam esse, sed alias per alias esse supplendas, ut modo ad hanc modo ad illam recurreres, prout discipulorum postulare necessitas.

Norunt omnes magistri quantum discipulis noceat usus immoderatus lexicorum. Eadem verba, quoties in textibus occurrunt, identidem incessabiliter in lexicis quaerunt. Inde magna temporis iactura. Inde fit etiam ut nunquam discipuli satis firmiter putent se ea verba scire. Id igitur studii ut pleraque exercitia, etiam scripta, sine lexicis fierent, pauciora tantum cum lexicis. Verba plurima memoriae mandabamus. Quibus verbis saepissime utentes, discipuli de eorum vi et significatione perpetuo dubitare tandem desinebant.

Illis etiam temporibus evenit ut librum quemdam legerem, a Prof. Jacobo Perret scriptum, cui libro titulus erat: "Latin et culture". Hoc in libro praeclarus auctor optime ostendit, si quis per Latina studia ad veram humanitatem proficere velit, id perfici non posse nisi multa Latine legat, nisi multa celerrimo cursu Latine legat. Tunc intellexi duos lectionis modos necessarios esse. Necessaria quidem est lectio "stataria" (ut alunt), qua magister discipulos edocet quomodo textum Latinum penitus perscrutari possint. Neque minus necessaria est lectio "cursoria" vel "incitata", qua discipuli assuefiunt textum Latinum simpliciter et celerrime intellegere. Quod si alterum legendi modum cum altero coniunxeris, ita ut discipuli paulatim adsuescant textus Latinos eodem modo, eodem cursu, eodem impetu legere, quo textus aliis linguis scriptos legunt, hac lectione vehementer alliciuntur ad linguae Latinae et Latinorum auctorum amorem.

8. *Quomodo factum est ut interesses primo Conventui Vitae Latinae, anno 1956° Avernione habito?*

Non memini quomodo conventus habendi rumor ad me pervenerit. Scripsi, quo melius scirem de qua re ageretur. Mira mihi cum benignitate, humanitate, comitate, Eduardus Aubanel rescripsit. Erat enim is ad amicitias iungendas aptior quam qui maxime. Ex eo tempore mihi lingua Latina carior facta est, ut <sup>pot</sup> pote quae amicitias conciliaret.

9. *Unde novisti Clemetem Desessard?*

Anno 1959°, Lugduni habitus est secundus Vitae Latinae conventus. Tunc coeperunt Vitae Latinae moderatores textus Latinos aliquos mihi mittere, ut eos emendarem vel etiam, si quando opus esset, plus minus rescriberem. Coeperat eodem ferme tempore Clemens Desessard Latine scribere, cuius textus aliqui mihi missi sunt. Atque ita inter nos amicitia paulatim orta est.

10. *Cur et quomodo eum adiuvisti ad Methodum "Assimil" conficiendam?*

Clemens ipse me et Prof. Orestem Badellino rogavit ut sibi auxilium ferremus. Nonne id debebat praestare amicus amico, praesertim in re tantae molis et tanti momenti? Ipse totum opus composuit, operis structuram definivit, textus elegit et adaptavit, unamquamque lectionem conscripsit. Nos autem, ego scilicet et Orestes, correctores tantum eramus. Ipse folia a se composita ad nos mittebat, nos vero, si quid minus Latinum minusve aptum videbatur, emendabamus.

11. *Videtur tibi lingua Latina ad commercium supranationale inter Europaeos fovendum apta, an tantum usurpanda in cantibus et rebus ecclesiasticis?*

Quaestionem hic mihi ponis latissimam, cui nescio an breviter respondere possim. Conabor tamen.

- In rebus quidem ecclesiasticis, et praesertim in sacra liturgia, pollet lingua Latina multis et eximiiis virtutibus atque utilitatibus. De ea re tamen ut fusius disseram non est hic locus.

- Multum etiam valet lingua Latina ad commercium supranationale fovendum, sive inter Europaeos, sive etiam inter alias gentes. Nonne Latina pangit carmina Japo ille Arituneus Mizuno?

- Lingua enim Latina clavis quaedam est utilissima. Videamus quas portas aperiat. Clavis est historiae Europensis et litterarum Europensium. Aperitur hac clavi thesaurus ingens et inestimabilis operum innumerabilium a decessoribus nostris per duo annorum millia Latine scriptorum. Hac in historia, his in litteris, spiritus Europaeus radices suas habet.

- Est etiam lingua Latina clavis, ut ita dicam, "colloquialis" (sit venia verbo!), qua aperitur facultas cum multis colloquendi, cum sit lingua communis multorum hominum in variis regionibus habitantium. Eorum unusquisque propriam habet linguam, qua utitur ad colloquendum cum concivibus. Si autem cum hominibus aliarum gentium colloqui debemus, tunc praebet lingua Latina magnam facilitatem. Id saepissime expertus sum. Neque tantum in colloquiis, sed et in epistulis, multi sunt hoc etiam

tempore qui Latina lingua utuntur. Sed id tegit epistulare secretum! Commercium epistulare olim institueram inter meos discipulos (Gallos scilicet) et discipulos ex aliis nationibus oriundos, Anglos praesertim et Hispanos. Quae res discipulis multum placuit et profuit.

- Clavis denique est lingua Latina quasi linguistica. Pleraque enim linguae nunc in Europa usurpatae aut sunt neo-latinae (sicut Italica et Hispanica et aliae) aut dum maturescebant influxum linguae Latinae per plura saecula potentissimum receperunt (ut Anglica et Germanica et aliae). Facilius igitur eas discit qui linguam Latinam bene novit. Sic aperit lingua Latina faciliorem atque expeditiorem linguarum Europensium cognitionem.

12. *Quid ex Feriis Latinis exspectas?*

Ex Feriis Latinis id exspecto ut augeatur numerus eorum qui Latine loquuntur et Latine scribunt, atque ita Europenses populi et linguistico suo vinculo supranationali frequentius utantur, et propriam humanitatis hereditatem fructuosius colant.

Quaelibet enim lingua (atque ideo et Latina) instrumentum quoddam est, quo homines quidquid sibi in sensibus aut animo est inter se communicare possunt. At quid prodest instrumentum habere, nisi eo utaris? Quid prodest linguam Latinam didicisse, nisi ea utaris legendo, scribendo, loquendo? Si vident discipuli nec ipsos magistros eo modo lingua Latina uti posse, eo fit ut et magistros merito despiciant, et immerito linguam ipsam Latinam spernant, quasi omni utilitate vacuum. Si autem vident magistros facile lingua Latina loquendo scribendo uti posse, ipsi ad spem eriguntur fore ut ad eundem perveniant facilem linguae Latinae usum. Quae spes eis in studendo laetam alacritatem parit. Omnino enim verum est illud poetae:

"Hos successus alit: possunt, quia posse videntur".

## Bene sapiat !

### Suilla cum ficis

Quomodo haec Apiciana compositio effici possit:  
Collige:

- 1,5 kg. suillae
- mel
- 25 ficos siccas
- 3 folia laurina
- 100 gr. dulcis vini albi
- 250 gr. sicci vini albi
- piper

In aqua frigida coque suillam ficosque. Fac bulliat per semihoram. Suillam pone in furno ut pingue fundatur. Melle carnem unge. Plus minus 45 minutae coque, ut caro aurea sit. Vina piperque pone in coctorium. Haec calefacta carni refunde.

# SCIENTIA LATINE

## ΜΗΔΕΙΣ ΑΓΕΩΜΕΤΡΗΤΟΣ ΕΙΣΙΤΩ

### Actio est reactio

Haec sunt verba, quibus Isaacus Newtonus rationes reciprocas virum duarum descripsit:

*Actioni contrariam semper et aequalem esse reactionem: sive corporum duorum actiones in se mutuo semper esse aequales et in partes contrarias dirigi* (Philosophiae naturalis principia mathematica, axiomata sive leges motus, lex III).

Ut digitus, qui lapidem premit, ipse lapide premitur, ita lectores legendo commentationes huius seriei incitati ipsi opuscula ad eandem rem pertinentia tractare conati sunt.

Hic illi dicendi potestatem habeant.

Dominus Viceconti aequationem quadraticam tractavit:

$$ax^2+bx+c=0; ax^2+bx=-c; x^2+\frac{bx}{a}=\frac{-c}{a}$$

### Quomodo Latine computandum sit

Vidoni Angelino in animo est pensorum arithmeti corum ope discipulos discipulasque et initia mathematicae et linguam Latinam docere:

"Ut in antecedenti praelectione adnotavi ("Melissa", n. 11, XII<sup>o</sup> Maii, 1986<sup>o</sup>), conficere simplices computationes arithmeticas est plana et utilissima via ad inveniendum usum<sup>v</sup> latini vivi: vocabula "technica" sunt pauca et pluries repetuntur nec arduum est discere memoriter et perfecte numeros latinos.

De summa et subtractione iam tractavi; nunc quaedam exponam de divisione. Cum vero discipuli iam optime cognoscant "technicam" divisionis (quam didicerunt, pueruli, in ludo litterario), tota difficultas reducit ad arripienda vocabula latina, quibus significantur varia momenta ipsius divisionis (in computationibus quae sequentur, oportebit discipuli bene cognoscant adverbia "multiplicativa" (semel, bis...)).

Scribo  $68 : 4 = ?$  (sexaginta octo divisum in quattuor (subintelligitur "partes")), aequale...

Conficio computationem: quattuor in sex continetur semel; scribo unum, inde multiplico unum per quattuor, quod scribo sub 6

$$\begin{array}{r} 68 : 4 = 1 \\ 4 \end{array}$$

Inde subtraho (vel "detraho" quattuor a sex; fit duo, ad cuius dexteram demitto octo

$$\begin{array}{r} 68 : 4 = 1 \\ \underline{4} \\ 28 \end{array}$$

Nunc cogitamus:

$$\left(x+\frac{b}{2a}\right)^2 = x^2 + \frac{bx}{a} + \left(\frac{b}{2a}\right)^2.$$

Addidimus equationi:  $\left(\frac{b}{2a}\right)^2$

Igitur procedendum est:

$$x^2 + \frac{bx}{a} = \frac{-c}{a}; \left(x+\frac{b}{2a}\right)^2 = \frac{-c}{a} + \left(\frac{b}{2a}\right)^2.$$

Nunc habemus separatim partes cognitae a partibus incognitis.

Lector haud difficulter formulam bene notam cognoscit:

$$x_{1,2} = \sqrt{\left(\frac{b}{2a}\right)^2 - \frac{c}{a}} - \frac{b}{2a}$$

Quattuor in viginti octo continetur septies exacte, ergo scribo septem apud unum. Exitus ("result, résultat, Resultat"), ergo divisionis est septemdecim ( $68 : 4 = 17$ )..

"Vos omnes, optimi discipuli, qui secuti estis has duas praelectiones, iam ergo scitis conficere, loquentes latine, et summas et subtractiones et divisiones.

Ducti a professoribus, exerceamini pluries elata voce, intente adhibentes vocabula technica. Brevi, capti secreta quadam commotione animi, animadvertetis vos mutatos in adulescentulos romanos, qui iam sciunt satis expedite (italice dicimus "disinvoltamente") loqui latine."

Deinde:

"Optimi discipuli, iam scimus quomodo latine conficiantur "summa", "subtractio", "divisio". Tempus est discere "technicam" multiplicationis.

Ut iam adnotavi, in nostro latino ~~vivo~~ erit opportunum, in multiplicationibus, procedere secundum morem hodiernum (cfr. "multiply three by four" "multiplier trois par quatre" - "multiplizieren drei mit vier"), non autem sequentes morem nimis implicatum antiquorum Romanorum ("vicies quinquies duodena sunt trecenta" ( $25 \cdot 12 = 300$ ).

Ceterum, e.g. in Columella (I saec. post Chr.) invenimus locutiones huius generis: "tria quater multiplicare" et "partem alteram multiplicare per alteram", quae sunt simillimae usui loquendi hodierno.

Incipiamus ergo. Scribo:  $32 \cdot 9 = ?$  (triginta duo per novem, aequale?)



Conficio computationem:

32.  
9

novem per duo fit duodeviginti; scribo octo et repono (vel sepono) unum:

32.  
9  
8

Inde multiplico 9 per 3 (novem per tria); fit 27 (viginti septem), plus unum repositum, 28 (viginti octo), quod scribo apud octo.

32.  
9  
288

Ergo exitus ("result" - "résultat" - "Resultat") multiplicationis est 288 (ducenta octoginta octo)."

Denique:

"Ut clare potestis conicere, si quis bene cognoscat numeros latinos cardinales et adverbia multiplicativa, iam valet conficere latine quamlibet vel "summam", vel "detractionem", vel "divisionem", vel "multiplicationem".

Duo vero sunt admonenda; discatis perfecte numeros nec minus accurate discatis vocabula et locutiones technicas quibus exprimuntur singuli calculi. Hoc modo, exercitia mathematica fient vobis optima et fructuosa initiamenta latini vivi."

### ADDENDUM

Ut verba Vidonis Angelino expleantur, tabula I lectorem edocet de terminis technicis disciplinae arithmeticae, quibus veteres Romani usi sunt.

additio	in unum iungere in unum colligare adicere superponere summa
subtractio	auferre de, ex detrahere deducere tollere reliquum quod relinquitur summa reliqui interstitio
multiplicatio	ducere per multiplicare summa ex multiplicatione
divisio	sumere partem aliquam partiri dividere summa

Tabula I : Termini technici disciplinae arithmeticae

Auctor se multas et delectationis plenas litteras a lectoribus missas accepturum esse sperat.

Petrus Hrandek

Vindobonensis.

## PROFESSORIS VALAHFRIDI STROH DE RUDENTIS PELLICULA CINEMATOGRAFICA EXISTIMATIO.



Valahfridus Gato suo s.d.p.

Vix credibile videtur quod scribo: sed non ante hesternum diem mihi contigit, ut tuum Rudentem viderem. Scilicet desunt mihi instrumenta ad ad tales res necessaria. Ignoscas igitur, si potes.

At quid tibi dicam! Perplacuit hoc spectaculum! Quod Mostellariam nostram obiter et sine labore exceptam longe vincit et superat. Quam tu actores mirificos tibi collegisti! Quam iucunde omnem rem instituisti! Neque enim credas histriones aut discipulos grammaticae scholae loqui, sed homines veros quales aut nunc sunt aut olim fuerunt. Sed id optime fecisti, quod naturam ipsam, id est mare et totam regionis amoenitatem non exiguas partes agere voluisti. Sic enim fabula illa Plautina, quae sal ac pelagus piscesque ( ut ita dicam) spirat, multo melius in vitam revocatur, quam si res in aliqua scaena agatur. Ergo ex animo tibi gratulor!

Atque histriones tui a nostratium auribus primum non tam bene intelliguntur, quod plurimi habent saporem nescioquem Francogallicum; sed post aliquantum temporis me huic mori pronuntiandi assuefactum vidi. Quem a vetere consuetudine appellandi litteras non equidem remotiorem credo quam hunc nostrum Teutonicum - nam restat semper aliquid nativae linguae, etiam cum maxime sequimur pronuntiatum restitutum illum qui dicitur. Neque hoc nimium nocet. Ceterum in syllabis aut promovendis, aut corripiendis nonnumquam actores diligentiores esse deberent. Sed hac quoque parte Mostellariam Germanicam longe nos vincitis!

Miram rem fecisti! Quod antea auditu, nunc ipsis oculis cognovi et admiratus sum. Cura ut nova mox edas et semper cum Aeliana et filiabus dulcissimis


Vale!

W. producendis?









### Sermo inter Caesarem et Varronem habitus de bibliotheca instituenda

Abhinc tres quattuorve menses res mira mihi evenit. Totum per diem Lovanii in bibliotheca universitaria libros Varronianos qui 'De lingua Latina' inscribuntur legeram. Ultimis verbis libri decimi (quo de analogia et anomalia agitur) lectis, bibliotheca repente tenebris obducta est. Reliqui lectores studiosique exierant, multis voluminibus in [tabulis] relictis. Ubique silentium erat; bibliotheca dormire videbatur.

Brevi spatio temporis intermisso vocum murmur supra caput audivi, proinde ac si laquearia loquerentur. Haec autem loqui non possunt; qua re conieci alios etiam praeter me in bibliotheca esse. Ex sede mea surrexi ac pedetemptim scalas ascendi ut contignationem superiorem perquirem. Quo cum pervenissem voces clariores factae sunt, sed prae tenebris videri non poterant ii qui colloquebantur. Ego vero curiositate actus quo potui silentio inter librorum armaria ad eos appropinquare coepi. Cum decem quindecimve modo passibus aberam, substiti atque auribus erectis comperire temptavi qui essent et qua de re loquerentur. Stupefactus et quasi fulmine ictus haec audivi:

- "Marce, Marce ... Ego, Caius Iulius Caesar, Romam pluris aestimo quam vitam meam. Si Pompeius profectus esset in provincias suas, si exercitum suum dimisisset, numquam legiones meas Rubiconem traicissem, numquam bellum inter cives factum esset. Consilium erat ut Romam servarem, non ut genero mortem afferrem. Tu quoque contra me castra habuisti: per paucos menses cum tuis legionibus omnem ulteriorem Hispaniam tuebaris."

- "Sane hercule! Nonne scis quare id fecerim? Te abhinc aliquot annos ex citeriore Gallia ad exercitum redeuntem iuvit de analogia scribere libros duos; me autem, harum rerum, ut credo, peritissimum, non consuluisti, quamquam quidquid ignorabas a me per nuntios quaerere licuit. Quocirca bello civili suscepto, partes Pompeianas secutus sum."

- "Delicto tuo ignoscam ea condicione ut mihi omnibusque civibus Romanis operam quam maximam praebeas: tibi curam do librorum ubicumque poteris comparandorum; magnam enim bibliothecam construere volo ut cives urbis nostrae omnia opera scriptorum Graecorum et Romanorum quotquot extant legere possint."

- "Quid? Narras quod nec ad caelum nec ad terram pertinet. Tuis mehercule facibus bibliothecam Alexandrinam funditus delevisi. Nunc Romae novum *μουσειον* aedificare vis. Dic mihi, Iuli: nonne deliras?" Quibus verbis excitatus Caesar succensuit. Sed eo ipso tempore cum res ad rixam venire visa est, cubitum dextrum ad armarii angulum offendi. Tres quattuorve libri in solum ceciderunt. Caesar, qui iamdudum coniurationem contra se metuerat, gladio stricto de sella exsiluit. Ego sine mora scalas petivi; at tenebris implicitus pedem offendi et cecidi. Caesarem adventare audivi, mors effugi non iam potuit. Clamitans et sudore madidus expectatus sum. Somnium fuerat. Lectione librorum Varronianorum consopitus obdormiveram.

*lepsi de!*

Marcus van Rooij  
Lovaniensis.

### DE VERBIS INTER SE TANTUMMODO SYLLABARUM MENSURA DIFFERENTIBUS.

*Ad demonstrandum quanti momenti sit vocalium longitudinem in sermone Latino et nosse et respicere, Georgius Andreas Bergère subsequentes versus a grammatico Italo Antonio Mancinelli (XIV<sup>e</sup> S.) conscriptos, ad nos misit divulgandos:*

Est ac̄er in silvis; equus ac̄er Olympia vincit.  
Dum sinit hora, cānās; effeto corpore, cānēs.  
Cēdō facit cessi; cēc̄id̄i cādo; caedo cēc̄id̄i.  
Fert ancilla cōlum; penetrat res humida cōlum.  
Si vis esse cōmēs mihi, mores indue cōmēs.  
Bellandi cūp̄id̄o damno est sua saepe cūp̄id̄o.  
Oblitus dēc̄ōr̄is violat praecepta dēc̄ōr̄is.  
Vin' tibi dīcām̄us cui carmina nostra dīcēm̄us?  
Edūcāt hic catulos, ut eos edūcāt in apros.  
Solvere diff̄id̄it nodum, qui diff̄id̄it ense.  
Condīt̄or est factor; condīt̄or fercula condit.  
Hausit saepe frētum sudo nimis aere frētum.  
Per quod quis peccat, per idem punitur et idem.  
Difficilis lābōr est, cuius sub pondere lābōr.  
In silvis lēpōres, in verbis quaere lēpōres.  
Deceptura viros, pingit mālā femina mālās.  
Triste mālum, frangit si mālum in nave procella.  
Mātrōna est mulier dives, sed Mātrōna flumen.  
Non amittis opes, m̄ys̄er̄is si m̄ys̄er̄is aurum.  
Mōrio mōrāt̄ur, quocumque sub axe mōrāt̄ur.  
Nīt̄er̄ē cum studio, si vis aliquando nīt̄er̄ē.  
Nil ego scribo nōv̄i, quia nōv̄i nil nisi nota.  
Occ̄id̄it latro, verum sol occ̄id̄it almus.  
ōs ōris loquitur; sed ōs ossis rodīt̄ur ōrē.  
Gaudet uterque pārens, cum filius est bene pārens.  
Pendēre vult iustus, sed fur pendēre recusat.  
Ludo p̄lā; p̄lūm contorqueo; p̄lā columna est.  
Pro reti et regione plāga est; pro verbere plāga.  
Si vitare pōtēs, ne plurima pocula pōtēs.  
Pluribus ille rēfert quae non cognoscere rēfert.  
Trībūlā grana ferit; trībūl̄i nascuntur in agris.  
Si transire vēl̄is undas maris, utere vēl̄is.  
F̄id̄ē, sed ante v̄id̄ē; qui f̄id̄it̄, nec bene v̄id̄it̄,  
Fallit ur: ergo v̄id̄ē ne capiare f̄id̄ē.  
Si qua sēdē sēdēs, atque est tibi commoda sēdēs,  
Illā sēdē sēdē, nam nova tuta minus.  
Penna solet p̄t̄cae nigrior esse p̄t̄cē.  
Haec nōtā quam monstras non mihi nōtā fuit.  
Nil prosunt v̄trēs, ni probitate v̄trēs.

## QUA RATIONE AETATE NOSTRA ADULESCENTIBUS LATINAE LITTERAE COLENDAE SINT.

Velim sermonem meum aliquibus verbis <sup>incipere</sup> incipere quibus ut exordio utar. Mihi visum est eum ita inscribere, quod inter omnes constat saepius homines, et etiam Latinis Litteris doctos, de hac quaestione disputare. Nam ea aetate vivimus qua naturales et mathematicae maxinae disciplinae putentur, cum Latinae litterae et virtutes, quibus eae innituntur, in dies magisque a nobis longe sint.

Cum id redire non possit, sermo meus non ad praeteritum sed ad praesens tempus spectabit. Latina lingua etiam nunc officium habet, id est ad hodierna tempora, quibus iis vivendum est, adulescentes parare. Ipsa doceo cum delectatione adulescentes Italicas et Latinas litteras in Italico lyceo et mihi persuasum habeo Latinas litteras adulescentes iuvare posse, contra Latinis litteris eos privare maximum damnum esse. Iam dicam quid de hac quaestione sentiam, sed antea ea quae contra Latinam linguam disputari solent, in breve conferam.

Primum argumentum est, Latinam linguam iam non esse linguam doctrinae et eruditionis, fere neminem Latine loqui vel scribere, etiam Catholicam Ecclesiam post Concilium Vaticanum Secundum, Latinam linguam in liturgia abolevisse. Secundum, aetatem nostram, qua naturales et mathematicae disciplinae dominantur, longissime a virtutibus Latinarum litterarum abesse videri. Tertium, Latinae linguae studere paucorum esse, qui amplo genere nati sunt, non nostrorum temporum, quibus populares civitates vigent et hominibus mores communes cum universis hominibus sunt (qui cultus "civilisation de masse" Francogallice vocatur). Itaque Latinam linguam provehere contra populum, vel potius laudatorum temporis acti esse videtur. Qui hoc adfirmant exempla afferunt Lefebvre Francogallicum episcopum (1) et quomodo Fascismus in Italia Latinis litteris usus sit. (2)

His dictis confutatio horum argumentorum inimicorum Latinae linguae sequetur doctis cogitationibus et experimentia mea, cum, ut supra dixi, magistra Latinae linguae et Latinarum litterarum sim.

Primo argumento his verbis respondebo : quamvis paene nemo Latine loquatur, nemini obliviscendum est Latinas litteras nostras esse, ut ex hoc probatur, doctos in operibus, quae de naturalibus et mathematicis disciplinis tractarent, usque ad proximum saeculum Latina lingua usos esse. Hoc loco memorare possum clarissimos homines variis disciplinis doctos, qui praeteritis saeculis opera sua Latine scripserunt. Satis erunt exempla Copernici Poloni (De revolutionibus orbium, anno MDXLIII), Galilei Italici (Sidereus nuncius, anno MDCX), Newtoni Anglici (Philosophiae naturalis principia mathematica, anno MDCLXXXVII). Praeterea multa verba medicinae, herbarum scientiae, zoologiae, maxime iuris latina sunt. Ceterum, cum lingua universalis sit, lingua Latina aptissima videtur ad opera et artificia nominanda (ut exempla afferam unguentum quod Nivea, autocinetum quod Audi vocatur) et ad nomina novis locis danda, quae ad universos homines pertinent (exempli causa loca Lunae : Mare Imbrium, Oceanus Procellarum, Mare

Tranquillitatis, Mare Moscoviense). Quorum multa exempla apud Carolum Vossen, strenuum defensorem vivae Latinitatis et auctorem clarissimi operis, quod Mutter Latein und ihre Töchter (3) id est Lingua Latina mater et eius filiae inscribitur, invenire possumus. Ad hoc linguam neolatinam loquentibus Latinae linguae studere ad meliorem cognitionem linguae suae maximi momenti est.

Secundum argumentum, quod in maximum argumentum ad linguam Latinam colendam convertitur, in tres partes dividi potest : a) Si adulescentes solum naturalibus et mathematicis disciplinis imbuuntur, solum res praesentes experiri possunt. Studium Latinae linguae contra, etiam difficultatibus suis, ad cogitandum compellit et, cum conscios praeteriti temporis eos faciat, eorum facultates iudicandi acuit. b) Nostra aetas impedit quo minus homines humanitatem suam educant. Qui Latinas litteras colunt (in primis Ciceronem et Senecam), si in se ipsos facilius redeunt, de se ipsis cogitant, condicionem hominis, non particularis sed universalis considerant, cui aeternae quaestiones, vita, mors communitas et societas vitae, quae ad privatum et ad publicum pertinent, semper adversantur. Ad hoc praetereundis non existimo nervorum morbus, peculiaris aetatis nostrae, qui similis aegritudinis animum adgreditur, cum homini vita et quae agit displicent. Multa hoc loco Cicero nos docere potest, cum, Romanis doctrinam Stoicorum aptans, hominem contentum iis quae natura donaverit esse debere adfirmat et, medicinae animi parans, clare dicit, cum ingenia hominum differant, unicuique incubandum esse, ut omnes facultates suas provehat, neque dolore afficiatur nisi maxima consequatur, quae praeter vires suas sint. Quibus de rebus cum Cicerone consentit Fromm Germanicus sociologus. (4) c) Progressus physicarum disciplinarum contra homines est, quod non semper ad bonum sed saepe ad eius ruinam spectat; maximum bonum autem tradidit nobis Latinitas humanitatem, quae cum reverentia adversus hominem, tum societas civillium et liberorum hominum significat.

Nunc ad tertium argumentum venio : Puto studium Latinae linguae ad omnes pertinere non posse, quod difficile est et quod hunc finem nulla societas assequi potest, sed id non amplius minuendum, immo omnibus viribus provehendum esse. Quare novae methodi adhibendae sunt et eis qui non potuerunt vel non voluerunt in gymnasium ei studere facultas ei studendi in universitate vel extra scholam danda est. Iis qui dicunt Latinam linguam studium paucorum esse ita respondebo : Quidquid paucorum est, nisi causa huius rei paupertas sit, bonum est; in societate, quae omnes comprimit et aequat, iis rebus, quae ad cogitandum ducant, studendum est. Scilicet causam Latinae linguae non adjuvit, quod ea non semper humanitas significavit, ut aetate qua humanae litterae restitutae sunt, exempli causa apud Victorinum Feltriensem, sed, ubertate sua privata, ut eos qui rei publicae praessent pararet, rhetorica exercitatio facta est. Hoc accidit in schola Societatis Jesu, in lyceo a Napoleone condito, in Italia in Fascismo.

*Amelias: societas humana*

Usus Latinae linguae in Fascismo maxima causa fuit contentio quae in Italia post secundum bellum totius orbis orta est. Haec praedudicata opinio diu perduravit, doctrina peculiari hominum cupidorum rerum novarum dominante, usque ad motum iuvenum, id est usque ad annum MCMLXXVII. Quare incommode Latinus sermo saepe a laudatoribus temporis acti et a magistris indoctis defensus est, qui ad Latinam linguam ut compensationem tenuis loci quo nati essent spectarent.

Hodie, post tempestatem, ut ita dicam, temporibus ad cogitandum aptioribus, pro certo habeo quod de commodis Latinae linguae colendae dixi. Velim tantum aliqua adiungere. Magnopere miror magistros Latinae linguae in dubiis et timoribus saepe versari, quasi antequam pugnent victi sint. Pro certo habeo -ho/ experientia mea innititur- adulescens lingua Latina delectari posse tali modo: iis intelligendum est: a) Latinum sermonem contra aetatem nostram non esse, sed, cum instrumenta ad praeteritum cognoscendum parat et aeternas virtutes tradat, ad hanc aetatem vivendam adiutorem esse. b) iis linguam colendam esse, ut virtutes Romanorum discant. c) Latinam linguam didicisse non significare superiorem esse iis qui eam non didicerint, sed, quod ad virtutem attinet, meliorem fieri.

Ut concludam de methodo linguae Latinae docendae dicam, Latinitatem vivam, Latine scribere et loqui, quod Latinam linguam propinquiore facit, adulescentibus maximo auxilio esse.

(1) Dominus Lefebvre, antiqui moris Ecclesiae Catholicae servator, contra praescripta Concilii Vaticani Secundi solum linguam Latinam ut linguam liturgiae probans, schismaticus episcopus factus est et communitatem schismaticam condidit. Talis defensio linguae Latinae parvuli globi, qui hodierna tempora ignorat, nullum felicem exitum habere potest.

(2) In Italia post secundum bellum totius orbis, praeter cetera ceteris civitatibus communia, contentio contra linguam Latinam hoc argumento usa est, Latinas litteras litteras Fascismi fuisse, qui non solum in lyceis linguae Latinae studium provexit (quod hoc modo signum ampli generis factum est) sed, ut universi populi consensum obtineret, Italiam heredem antiquae Romae laudibus extulit multa Romana verba ad res significandas, quae ad rem publicam et ad societatem attinerent, adhibens (exc: Mussolini dux appellabatur, erant centuriones, consules etc.)

(3) C. VOSSEN, Mutter Latein und ihre Töchter, Hoch Verlag, Düsseldorf, 1984.

(4) E. Fromm in multis sed in primis in eo opere quod Habere aut esse inscribitur haec cogita plane clareque exponit.

Paula Marongiu Florentina

x *humeram*

## "VERUM IPSUM FACTUM"

Saepe numero, cum cogito de latino ~~vivo~~, mihi venit in mentem ille aphorismus acerrimi philosophi Ioannis Baptistae Vico (1668-1744): "verum (id est "cogitum") ipsum factum", cuius haec est significatio: plene et vere cognoscimus solum id quod ipsi fecimus. Hoc principio ductus, philosophus asserebat naturam numquam posse cognosci intime ab hominibus, utpote quae facta et exstructa sit a Creatore; solummodo ergo nos posse penitus cognoscere historiam, quae sit proprius fructus humanae activitatis.

Applicemus rem ad linguam latinam: quoadusque ego non valebo vel loqui vel scribere latine, ego numquam potero gloriari me penitus cognoscere linguam latinam. Bene memini quid acciderit quodam die, in consessu professorum: ego vix expresseram hoc cogitatum, cum professor quidam surrexit atque motus quadam indignatiuncula, haec elata voce pronuntiavit: "Ergo nos professores, qui iam triginta vel plures annos vertimus et interpretamur Classicos, at non loquimur latine, non cognoscimus penitus linguam latinam!"

Ego statim respondi: "At tu, docte professor, scis loqui latine, tu scis facere latinum, si non in actu, at certissime in potentia. Nam tu cognoscis innumera vocabula latina et locutiones latinas, quae vero omnia manent, ut ita dicam, "sopita" in tua mente. Sufficit brevis exercitatio et tu animadvertes te ipsum iam factum civem romanum, qui sciat exprimere latine sua cogitata, initio lente et plane, at cito magis magisque celeriter et exulte. Certe neque tu neque ego loquemur "ciceronianiter", nam lingua litteraria latina exurgit ex lento et callido et cauto labore Scriptoris latini, at loquemur stilo colloquiali, cotidiano; qui est stili cuiuslibet linguae, cum adhibetur ad communicandas aliis proprias opiniones et proprias necessitates et est stili quo usi sunt innumera milia Romanorum per circiter octo saecula, a Plauto usque ad Isidorum hispalensem."

Quae lingua colloquialis est unica et perfecta "propaedeutica" ad intellegenda et ad penetranda, deinceps, opera Auctorum latinorum. Incipe, in tua ipsius domo solus deambulans, explicare latine, lente et caute, aliquam simplicem regulam cum aliquibus exemplis. Intra paucos dies animadvertes, tacite commotus, quam sit pervium adhibere linguam latinam ad se exprimendum ab eo qui habet in promptu, in sua memoria, ditissimum penus vocabulorum.

Cum incipimus discere aliquam linguam novam (anglicam, hispanicam, germanicam ...), cur, initio, debemus assidue interrumpere nostrum sermonem? Quia nescimus adhuc vocabula!

At professor linguae latinae est vere privilegiarius: est enim, verissimo sensu, lexicon latinum vivens! Si ergo professores incipiant tandem se exercere ad loquendum latine, cito se invenient, obstupefacti, factos celeriter idoneos ad adhibendam linguam latinam, utique simplicem et demissam, at brevi magis magisque uberem et politam.

Et sic poterit revera ad actum adduci illa pacifica "revolutio" methodi traditae docendi latinum. Miscentes perite et prudenter linguam patriam et linguam latinam, professores gradatim inducent discipulos ad se imitandos, atque mox et ipsi

**CORAM...** sequitur p. 3

non satis bene ante oculos videbantur habere. Ob eam causam novum consilium propositum est cui praeesset Professor Carolus Egger, abbas honorarius Vaticanae urbis et ipse Nicolaus Sallmann et etiam ego. Et Carolus Egger dixit sibi, id est Vaticanis viris, antequam conficerent Neo-Vulgatam, sibi multum consulendum et cogitandum fuisse de hac ratione bona et omnibus acceptabili. Itaque in urbe Vaticana nunc esse quandam rationem et dispositionem et promisit se hanc rem nobis omnibus accessibilem facturum esse. Putamus hunc in modum hanc quaestionem bene solvi posse. Ergo, usque ad annum proximum, de hac re deliberandum et consulendum erit et consultandum et tunc definitive nonnullae rationes et regulae communiter proponentur.

*Gaius Licoppe* : Disputaveruntne etiam de lexicographia et de causa vocabulorum novorum conficiendorum?

*P. Caelestis Eichenseer* : Etiam de his rebus multum, satis multum sed non nimis multum disputatum est. Et quidem quia post symbolam vestram anni praeteriti, Pater Iosephus Mir deliberavit de hac re et tunc putavit sectiones, ut aiebat, sectiones in Academia esse formandas, ubi etiam de rebus novis consuleretur et verba nova proponerentur. Hoc generaliter, sed plerique ad hanc rem videbantur parati. Tunc etiam in hac re Professor Robertus Schilling proposuit ut consilium quoddam constitueretur. Ego deinde dixi, quia nolui hanc rem nimis diu disceptare, dixi tantum tres homines esse in Academia qui verba nova confingerent, Carolum Egger, Patrem Iosephum Mir et me ipsum. Ergo ceteris fortasse verba nova proponenda esse et ab ipsis aut reprobanda aut comprobanda, sed vix plura fieri posse. Hac de re etiam deinde consilium quoddam est constitutum ubi etiam praeesset Carolus Egger et etiam Professor Sallmann et ego quoque. At Mir voluit separatim de his rebus aliquid et novas quasdam proponere.

*Gaius Licoppe* : Optime. Actaene sunt aliae res scitu dignae in conventu?

*P. Caelestis Eichenseer* : Praenuntiatu est conventus Latinitatis humanisticae in Canada futurus. De qua re Professor Iosephus IJsewijn complura protulit. Sed id quod mihi maximi momenti videbatur esse erat hoc, quod dixit ibi etiam de condendo lexico Latinitatis humanisticae aliquid futurum esse. Multa sunt in hac re efficienda, et putat ab Californiensibus subsidium pecuniarium fortasse satis magnum allatum iri, et hunc in modum tandem id paulatim videtur effici posse, quod iam a multis erat rogatum et postulatum et flagitatum, quia post lexica mediaevalia, lexica comprehensiva et communia vix exstant. Et nunc Iosephus IJsewijn ad hoc opus et inceptum paratus est accedere.

*Gaius Licoppe* : Summas gratias. Et quid dicere potes de atmosphaera, ut ita dicam, generali huius sessionis?

*P. Caelestis Eichenseer* : Fortasse antea liceat mihi aliud addere. Post verba Professoris Iosephi

IJsewijn, mihi licebat nonnulla referre de symposio nostro hoc anno futuro, id est exeunte mense Augusto. Et dixi id quod in conventibus prioribus Latinitatis vivae propositum erat ut fieret et deinde non iam factum est et in conventibus communibus ut Dunelmensi et Treverico et aliis, tantum licebat res humanisticas proponere et mediaevales, sed non res recentissimas. Et hanc lacunam necessario esse explendam, et ob eam causam nos instituturos esse symposium Latinitatis posthumanisticae ubi ageretur de diversis thematis et de lexicographia huius temporis recentioris et de bibliographia huius temporis recentioris; ipsoque in novo fasciculo Vocis Latinae duas paginas conspici posse ubi programma exhiberetur quia Professor Carolus Egger interrogavit ubi programma hoc videri vel inspicere posset. Et assensi sunt vel non nimis multum assensi sunt, sed hanc rem cognoverunt quasi prioribus conventibus Francogallicis aliquo modo praenuntiatam et praestitutam.

Et deinde atmosphaera: hoc anno erat, mea quidem sententia, multo melior quam anno praeterito, quia nullum problema vere controversum proponebatur et Professor Robertus Schilling res nimis controversas statim ad consilia condenda delegavit. Ob eam causam nulla controversia aperta facta est.

*Gaius Licoppe* : Gratias summas tibi ago. Et ad concludendum dicam: etiam de Academia Romana non est desperandum.

*P. Caelestis Eichenseer* : Nullo modo. In primis mihi plurimum placuit: mihi licuit cum Professore Sallmann et Professore Caetano Gantar, est Iugoslavus, prandium sumere, et illi duo non sunt iuvenes sed sunt iuniores in comparatione ceterorum, hi mecum consenserunt in eo ut dicerent novam vitam inferendam esse huic Academiae. Professores emeriti vix quicquam agere poterunt vel volent, sed pauci sunt iuniores et puto fieri posse, si seniores non strepant, ut re vera nova vita huic consessui et huic Academiae inferatur.

**" VERUM IPSUM FACTUM "** sequitur p. 12

incipient adhibere linguam latinam planissimam, at legitimam.

Mirum est quam confestim discipuli sinant se attrahi ad hanc novam experientiam, et quam laete se animadvertant fieri, sensim, adulescentulos romanos.

*Accurata*  
Adepta facultate sui exprimendi latine, tunc poterit incipi contactus cum Auctoribus, quorum paginas tunc discipuli poterunt, aliquanto facilius et aliquanto profundius, interpretari."

Hic velim laudibus exornare discipulos Lycei "Barthou" (quod est situm in urbe Pau, in Gallia meridionali). Quid enim agunt, componentes et edentes illum libellum periodicum, cui titulus "MAS" ? Illi faciunt latinum, et hoc modo incipiunt "penetrare" in linguam latinam. Si autem incipient serere etiam quaedam colloquia brevissima et simplicissima cum docentibus (vel, proprie, cum docente pollente uberi doctrina et miro ardore in latinum vivum, cui nomen notissimum Genovesae Immé), tunc revera adducunt plene ad actum aphorismum vichianum.

Guido ANGELINO, italus

(Occimiano - AL)

# KANT VEL KANTIUS ?

Qui hodie scribat vel loquatur latine, incurrit crebro in cognomina hodierna vel scriptorum vel poetarum vel politicorum vel physicorum... Suntne latinizandi an non? Procul dubio, subtilibus auribus Humanistarum dissonabat intrusio, in orationem latinam, alicuius vocis barbarae, ideo latinizabant non modo sua cognomina, sed etiam aliorum.

Nostris vero auribus hominum viventium saeculo vicesimo minime est absona, in contextu latino, mixtio vocum exterarum vel peregrinarum; non modo enim in communibus sermocinationibus utimur libere vocibus mutuatis a linguis diversis (quis nostrum hodie non adhibet black out, week end, Weltanschauung, hostess, harakiri, fair play, manager, champagne, ticket et alia innumera?), sed etiam, cum legimus Diurna vel audimus transmissiones televisificas vel radiophonicas, circumfundimur quotidie nominibus exteris, praesertim politicorum et cantantorum.

Hodie nempe existit, ut ita dicam, quasi quidam "cosmopolitismus linguisticus", quasi quaedam liberalis et ampla "hospitalitas linguistica", qua reor debere ditari nostrum quoque latinum vivum, si vult esse reapse speculum vitae nostri temporis.

Cognomina ergo hodierna cuiuslibet linguae, necesse est, mea quidem sententia, maneant "intangibilia" ne ulla oriatur incertitudo (Greg.) de personis de quibus agitur neve fingantur vocabula interdum dissona, interdum comica.

At exoritur quaestio quomodo possint indicari varii casus, si terminationes cognominum maneant immutatae. Haec adnotaverim: Si agatur de Nominativo vel de Accusativo, nulla necessitas mutandi cognomina: verbum enim quod ea comitatur, clarissime ostendet utrum agatur de subiecto an de obiecto; libere ergo dicemus: inter maximos musicos adnumeratur Beethoven - quis non admiretur Beethoven?

Quotiens cognomina reguntur aliqua praepositione, etiam in eiusmodi casibus nulla est necessitas variandi; praepositio enim per se demit quamlibet dubitationem. Ecce exempla:

Pauca legi de Milton - in Shakespeare non desunt redundantiae - post Marx, doctrina

communismi coepit ample diffundi - quis ante Pasteur suspicatus erat existentiam microbbrum?

Si vero agatur de Genetivo, de Dativo vel de Ablativo, exstat triplex solutio, ut iam alias proposui<sup>(1)</sup>:

-vel praeponatur cognomini nomen baptismatis, quod est per se declinabile (mirabiles sunt quattuor symphoniae Ioannis Brahms - decretum est Salvatori Quasimodo praemium Nobel);

-vel praeponatur appellativum (poeta, scriptor, pictor, praesidens, senator, secretarius ...). Ecce exempla: Verba praesidentis Reagan fuerunt aspera - admiratio poetae Eliot in Dantem est ingens - Auctori musico Bach laudes extimiae tribuuntur ab omnibus;

-vel convertatur cognomen in adiectivum (Nocturna chopiniana sunt mirabilis pulchritudinis - per indagaciones freudianas licet penetrare interius in humanam psychen).

Similis est quaestio de nominibus urbium.

Nisi agatur de urbibus quorum nomina latina sunt notissima (Mediolanum, Londinium, Neapolis, Lutetia, Tarentum, Massilia ...), ne lector, quisquis est, doctus vel minus doctus, possit haerere ulla incertitudine, adhibeatur nomen hodiernum, quod autem praecedat appellativum "urbs", vel saltem, si adhibeatur nomen latinum, apponatur intra parentheses nomen hodiernum (quod iam plerumque fit).

Sint exempla:

Profectus ab urbe New York hora decima, perveni ad urbem Dehli hora vicesima prima - natus erat in urbe Saarbrücken, sed adhuc puer migraverat in urbem Madrid - optime cognosco urbem Beirut, at minime urbem Teheran - proximis feriis me conferam in urbem Copenhagen - numquam viseram Amstelodamum (Amsterdam) - pernoctavi Burdigalae (Bordeaux) - s. Isidorus natus est in urbe Hispali Sevilla).

Guido ANGELINO - italicus  
(Occimiano - AL)

(1). Latinitas, 1981, III, 238-9.

## CONSILIA PRACTICA

### De telis e corpore extrahendis

Tela quoque, quae illata corporibus intus haeserunt, magno negotio saepe ejiciuntur. Sunt enim quaedam difficultates ex generibus eorum; quaedam ex his sedibus, in quas illa penetrarunt. Omne autem telum extrahitur, aut ab ea parte, qua venit, aut ab ea, in quam tetendit. Illic viam, qua redeat, ipsum sibi fecit; hic, a scapello accipit. Si non alte telum insedit, et in summa carne est, aut certe magnas venas et loca nervosa non transiit, nihil melius est quam, qua venit, id revellere. Si vero venas nervosque id transiit, commodius est aperire quod superest, eaque extrahere.

Cels., VII, 5.



SEDES STUDIORUM NEOLATINORUM  
UNIVERSITATIS STUDIORUM SARAVIENSIS  
invitat Latine doctos ad

## symposium

participandum, quod erit  
de incremento linguae Latinae  
post tempora humanismi facto.

Quod symposium fiet  
die Veneris, 28. m. Augusti 1987,  
et insequenti die Saturni, 29. 8. 87,  
in oeco quodam  
Universitatis studiorum Saraviensis.

Singuli universi, quorum hoc rerum et  
quaestionum interest,  
enixe rogantur,  
ut hoc biduum sibi reservent liberum.  
Invitationes separatae cum programme  
ineunte anno 1987° exhibebuntur.

Quoad quaestiones et interrogationes :  
numerus telephonicus  
(49)-(0681) 302-3392  
(Dr. Caelestis EICHENSEER)  
Inscriptio cursualis :  
Societas Latina  
Universität-FR 6.3  
D-6600 Saarbrücken 11.



*Pictura parietalis Paesti inventa  
in "Urinatoris sepulcro", quod vocatur.*

## UBI CONDISCATUR LATINE LOQUI

### SEMINARIA LATINA

Dr P.Caelestis Eichenseer hoc anno moderabitur duo  
seminaria, ubi sua solita via iucunde docebit sermonis Latini  
usum cottidianum:

**-26/7 - 1/8/1987, Morsaci (Morschach) in  
HELVETIA**, qui locus saluberrimus aliquibus centum  
quinquaginta metris supra lacum "Quattuor Regionum" situs est,  
unde montium clivi bene accessibiles sunt maximeque mirabilis  
prospectus ad lacum ipsum et ad montes circumiacentes  
praebetur. Ad quod participandum, interroganda est:

Erica ROTH  
Aeschistr. 6  
CH- 3110 Münsing  
Tel. 031/920823

**-15/8 - 22/8/1987, Vestendae in BELGICA**  
(ad litus maris harenosum), ubi pernoctatio victusque in hospitio  
communi relative parvo constant. Ad quod participandum,  
interrogandus est:

Dr. Gaius LICOPPE  
Av. de Tervueren, 76  
B-1040 Bruxelles  
Tel. 02/7350408

Pro ipsa institutione unius septimanae 120 Marcae Germanicae,  
quae pecuniae summa mittatur ad hanc sedem nummariam: VOX  
LATINA 18353-661 Postgiroamt Saarbrücken-Deutschland.  
Pecunia pro habitatione et victu solvetur in ipsis deversoriis vel  
hospitiis.

### FERIAE LATINAE

**-17/8 - 24/8/87,**

**P. Suitbertus a S. Joanne a Cruce** Férias Latinas  
moderabitur. Propter refectionem Castelli "La Castille", Férias  
Latinae hoc anno Nicaeae celebrabuntur, in Universitatis  
Nicensis aedibus quae vocantur: "Résidence universitaire Saint-  
Antoine".

Schedae inscriptionis rogandae sunt a:  
Clemente DESESSARD  
Résidence des Collines, 9  
Rue Léon Brun  
F-06210 MANDELIEU.

## Ad solutam alvum remedia.

Quem vero frequenter cita alvus exercet, huic opus est pila similibusque superiores partes exercere ; dum ieiunus est, ambulare ; vitare solis nimium ardorem, continua balnea ; ungi citra sudorem ; non uti cibis variis, minimeque iurulentis aut leguminibus, oleribusve his, quae celeriter descendunt ; omnia denique sumere, quae tarde concoquantur. Venatio, durique pisces, et ex domesticis animalibus assa caro maxime iuvant. Nunquam vinum salsum bibere expedit, ne tenue quidem ; aut dulce ; sed austerum, et plenius, neque id ipsum pervetus. Si mulso uti volet, id ex decocto melle faciendum est. Si frigidae potiones ventrem eius non turbant, his utendum potissimum est. Si quid offensae in cena sensit, vomere debet ; idque postero quoque die facere : tertio, modici ponderis panem ex vino esse, aut ova fricta ex oleo, vel ex defruto, similibusque aliis : deinde ad consuetudinem redire. Semper autem post cibum conquiescere, hac neque intendere animum, neque ambulatione quamvis leni dimoveri.

Cels., I, 6.

# MELISSA ACCEPIT ET LEGIT

## KALEVALA LATINA

(365 p.)

constat US\$ 33 + US\$ 6 (sumptus cursuales).  
Peti potest a domo editoria  
cuius inscriptio cursualis est:

Suomalaisen Kirjallisuuden Seura  
PL 259  
SF-00170 HELSINKI 17  
Finland

Petitorio subiungenda est  
Europaea assignatio argentaria.

## Latine legere:

SAKSA, Renatus: De vaspiceto nive velato.  
Bibliotheca Neo-Latina, Reinhardt Brune Verlag,  
Postfach 68, D-4018 Langenfeld. Imagines a  
Villemo Schürmann Leichlingensi delineatae.

Quodam proelio commisso, locumtenens cadit  
in speluncam nive velatam. Mortis terrore  
affectus, memoriam revocat: sicut morituri, vitam,  
infantiam, matrem recordatur. Subito alter miles  
in speluncam etiam cadit. Ex vestitu locumtenens  
hostem quendam, iuvenem, adhuc puerum,  
agnoscit.

Anxietate frigoreque obstupefacti, nive capti,  
remoti a mundo, illi duo viri debent horas  
terribiles una degere.

Descriptionem psychologiam, magis quam  
belli narrationem, Renatus Saksa nobis hoc libro  
proponit. Potestne amicitia inter hostes, eodem  
periculo mortis evento, oriri? Utrum adversarii an  
malorum consocii sunt illi homines quos fatum  
coniunxit?

Etiam si homines causas adversas defendunt,  
ipsi tamen similiter dolent moriunturque  
similiter. Miles Renat Saksa potuit hostem vivum  
odisse tamquam inimicus esset proprius, sed,  
postquam eum occidit, tantum superest miserum  
corpus humi iacens, in quo hominem sui similem  
agnoscit. Stultitia huius mali militi subito in  
mentem venit, per brevi tamen tempore, quia  
concludit: "Iterum locumtenens advertit ad vitam  
propriam servandam nihil effici posse nisi  
violentia."

Ad tales cogitationes Renatus Saksa lectores  
invitat.

*libris*  
Melissae bibliotheca modo locupletata est  
nonnullis pulcherrimis, quorum nunc aspectum  
tantum monstrare possumus. De materia ipsa in  
sequentibus numeris referemus.

Imprimis accepimus "Dantis iter in  
Deum" cum sodales Latinos Mediolani die 24<sup>o</sup> m.  
Aprilis convenimus; intererat enim filia auctoris  
translationis Latinae, quae nobis hoc opus dono  
dedit.

Modo Amadeus Torres, Lusitanus, ad nos  
benigne misit et bibliothecae nostrae dono dedit  
duo maximi momenti opera; primum, "Lusiadae"  
inscriptum, conscripsit Camonius et in Latinum  
vertit Clemens De Oliveira O.P.; alter est lautissima  
editio (1982) epistularum Latinarum clari  
humanistae Lusitani, Damiani A GOES.

LUDOVICI CAMONII

CLEMENTE DE OLIVEIRA, O.P.  
INTERPRETE

LUSIADÆ



OLISIPONE  
MCMXXXIII

AMADEU TORRES

NOËSE E CRISE  
NA EPISTOLOGRAFIA LATINA GOISIANA

AS CARTAS LATINAS  
DE  
DAMIÃO DE GÓIS

INTRODUÇÃO, TEXTO CRÍTICO E VERSÃO

EDITADO POR  
HÉLÉNE Y. DE SOUZA MARTINS



FUNDAÇÃO CALOUSTE GULBENKIAN  
CENTRO CULTURAL PORTUGUÊS  
PARIS - 1981

Giovanni Ambrosi

Dantis iter in Deum

Con Dante dalla Selva all'Empireo

1265-1985